

- 1 De pōētis proprieitate Matthæus Greigius.
 2 Capita Religiosi Xeanæ Græcæ Joach: Camerang.
 3 Laus Xer resurgentis Christi Petar. Petarg.
 4 Carmen Habram. Barth. Radmanny.
 5 Carmen Hab: Gi dem.
 6 Salms CIII Carminicè Pancratius Grigors.
 7 propheta Jonas Carminicè. damel Saxe.
 8 Ecloga de xeo triumphante Barth: Byloq.
 9 Canones Monach. trans. Hildesheim Crise.
 10 Davidis tropæum Joh: de Cottetiz.
 11 Davidis triumphg Jan: Henricz Scroteng de Gustrow.
 12 de Mundi termino Joh: Polidorg.
 13 Ecloga in diem Martinij. Abraham: Peceliq.
 14 De Parte Novitatis Dethlerv Meyerg.
 15 Bernardi degentia mundi Carminia.
 16 Joan: traxine Melos R. Spangenberg Tufestym.
 17 Concordia conciva Albertus Olearius.
 18 Carminum Joach: Bilschj Liber I.
 19 Gregorij Crebicij poemata.
 20 cognosticon Joh. Staibij e.
 21 Ratio Media Carminicæ Laur: Homang.
 22 Alberti Vorti Pantheicias.
 23 De Incommodis Semetictis Erasm: Roterdam.

Q3.105 (1-66)

V

10


DAVIDIS PVERI
MILITIS INVICTISSIMI
TRIVMPHVS GLORIOSISSIMVS: IN
Christianorum à Scythico passim latrone, alijsq; ho-
stibus Ecclesiæ immanissimis undiq; miserè pressorum consola-
tionem ex decimo septimo capite primi libri Regum de-
sumptus, Heroico carmine breuiter red-
ditus, & humilimè con-
secratus

SERENISSIMIS ILLVSTRISSI-
misq; Principibus ac Dominis, D. FRIDERICO
GVIELMO, Saxoniarum Provinciarum Se-
ptemviralium & heredis Electoralis Tutori & Ad-
ministratori, & D. IOANNI, Fratribus Germa-
nis, Saxonia Ducibus, Landgravijs Thuringia &
Marchionibus Misnia, Principibus Chri-
stianissimis, Musarumq; Mecœna-
tibus optimis.



AUTHORE

Iano Heinrico Scrötero de Gustrow, Megapolitano,
Equite, & P. L. Cæsareo.



SERENISSIMIS
ILLVSTRISSIMIS QVE
PRINCIPIBVS AC DOMINIS, D.
FRIDERIGO GVILIBELMO, SAXONICA-
rum Provinciarum Septemviralium Tutori & Admini-
stratori, & D. IOANNI, Fratribus Germanis, Saxo-
niæ Ducibus, Landgravijs Thuringiæ & Marchioni-
bus Misniæ, Principibus & Patriæ Patribus
Christianissimis, Musarumq; Mecœ-
natibus longé optimis
Autor

S. P. D.

DVM nostras Scythicus miseranda cæde Tyrannus,
Dira Philistarum ceu gens olim oppida Indæ,
Vndiqu di vexat terras, Christumqu piosqu
Christicolas, quotquot fert atas nostra, cruentis
Tormentis, gladio, flammis, mortisqu timore,
E toto cupiens sine causa pellere mundo :
Quod dudum clamant tot regna, tot oppida, dira
Cæde madentia adhuc, bellisqu exhausta nefandis :
Hæc quæ iusta feri Goliathis fata Gigantis,
Davidisqu canunt celebrem super hoste triumphum,
Non bene culta quidem, sed non indigna labore,
Carmina Christicolis ut sint solatia pressis,
Imparibus cecini numeris, quæ, motus amico
Admonitu Phæbi, vobis, duo maxima REGNI
Lumina GERMANI, duo non mortalia GENTIS
Sidera SAXONICAE, Patriæqu PATRESqu DVCESqu
Splendore illustres, tibi Dux FRIDERICE VILHELMÆ,
SAXONIS ENSIFERI qui nunc regis arva fideli
Ac patria TVTOR Pietate : tibiqu IOANNES
Inclyte, GERMANI FRATRES, Virtutibus ambo,

A 2

Ambo

Ambo pares animis, ambo prælustribus ausis,
Quorum AVVS illustris, PATRVSq; FRIDERICVS vterq;
Magnanimusq; PAREN S, GVLIELMVS ad astra receptus,
Sæpius, ut constat, cœli mandata secuti,
Pro Christo, Patria, pro Religionis honore
Sustinuere graues non fracto corde labores;
Et qui nunc ipsi, sceptro patria atra regentes,
Institiam, Pacem, Pietatem, Religionem,
Non modo sub vestris passim defenditis oris,
Verum etiam, veluti fas est, Germanidos oræ
Commoda, resq; omnes, vita discrimine, prompto
Pectore, consilys, opibus, concordibus armis
Provehitis, nostris ut finibus hoste remoto
Cum socijs, natis, dominibusq; agrisq; bonisq;
In patrijs tui possimus vivere terris,
Dedico. Vos vestri capietis dona Scröteri
Pacato vultu: Et quoquo magis impia diro
Ah nimis & nimis infelix Bellona flagello,
Threiciusq; simul prædo per Pannonicis arva
Ense furit rigido, crudeli immanis hiatu,
Tantò maiori nixu, maioribus armis,
Maioriq; fide pro Pace subite labores,
Custodes Patriæ vigilesq; Patresq; fideles,
Ut tandem supera diuū vescamini in aula
Ambrosijs saturati epulis & Nectare dulci.

Serenitatis vestræ

Humilimus Clientulus

Ianus Heinricus Scröterus de Gustrow,
Megapolitanus, Eques, & P. L. Casareus.

*DAVIDIS PVERI, MILITIS
inuictissimi Triumphus, Heroico carmine
redditus.*

 Vistua prætereat præconia splendida David,
Maxima lessæ lux stirpis & inclyte gentis
Iudææ Ductor; tuaquis bella, horrida bella,
Atq[ue] tuas dextro commissas omine pugnas
Efferat haud linguis lœtis, meritaq[ue] revolutat
Laude, quibus primo teneræ sub flore juventæ,
Pastor adhuc ovium, funda baculoq[ue] superbus,
In Procerum, in pavidi Regis, timidiq[ue] manipli
Conspectu monstrum horrendum, crudelibus ausis
Ingentem Goliath vasta se mole moventem,
Et contemptorem Domini Sebaothis acerbum,
Stravisti gladio sine forti & fortibus armis?

Dira Philistarum gens, summo inimica Tonanti,
Effera gens, ingens ferroq[ue] armisq[ue] cruentis,
Bella ciens, diris Iudæ sobolem impetit ausis,
Ac alias alio densat super agmine turmas,
Dilectam superis Abrami è sanguine gentem
Invisis cupiens armis expellere mundo.

Et nunc fas passim miscens impune nefasq[ue],
Ac stragé exercens horrendam, ac omnia complens
Cæde, Philistarum Mavortis ad atra paratus
Bella Sochotæis campis exercitus ibat,
Quando equitum turma cinctus peditumq[ue] caterva

Cessidæ Saulus, Iudææ splendidus oræ
Rex, in tutelam populi patriæq; salutem
Arma movens hostes contra se Marte parabat.
Ut vero Isacidæ rectori gentis & ipsis
Militiæ Ducibus diuino numine fretis
Mens erat in planos Mavortem educere campos,
Instructaq; acie adversis occurtere signis
Hostibus, & valida causam decernere dextra;
Ecce Philistarum è castris (timor occupat artus,
Dum recito)monstrum horrendum sex amplius vlnas
Longum, terribilem galeam cristiç; mi- antem,
Ancipitem gladium, loricam ex ære rigentem,
Hastæq; & clypei vix enarrabile pondus
In manibus gestans, vasta se mole mouebat;
Nomen ei Goliath, Sicula sub rupe putasses
Quem natum, aut stygia primum de gente Cyclopum.

Istè ubi Iudæos habitus Ebræaç; cernit
Agmina, paulatim furibundos lumine torvo
Continuit gressus, & acerba voce Tonantis
In legem, in Cœlum, in Superos convitia jactans,
Isrælem exagitat, verbisq; illudit amaris.
Ignavi dicit, precibus qui tela paratis,
Invictumq; Deum, cui fiditis, esse putatis;
Numen ubi vestrum, validi quod tela Gigantis
Emissa excutiet, ne corpora perdere vistra
Et nigras possint cum sanguine mittere ad umbras?
Non vanis opus est precibus, sed pectore fortis,

Fortibus

Fortibus & dextris : cum forti prælia gente
Committenda etenim vobis ; victoriæ inanii
Spe captus, donis cumulans altaria, deses
Militat in templis ; armis Mavortibus aptos
Esse viros acres decet : En mea dextera Numen
Est mihi præcipuum ; mihi virtus, tendere, quo me
Ardor agit, cupidæq; ferunt in commoda mentes :
Non vester Deus aut me Numina ficta movebunt :
Commoditas sed enim quo me mea fertq; voluntas,
Huc sequor ; hic vitæ finisq; & terminus esto.

Hæc ergo, ô timidi, nostræ conamina mentis
Accipite, & memores subtus præcordia vestra
Condite : Si bellum finire, & pellere fortem
Mauortis sobolem vestra de sede Philistam
Vestrum aliquis demens desiderat, expetit, optat,
Fortibus is tecum iam iam concurrere signis
Accingat sese subito, fistatq; morari :
Tunc facile, quantum rigidis quis possit in armis,
Experiemur ; & an toties in vota vocatus
Ille Deus vester, cuī subdita cuncta putatis,
An mea tela juvent, invictaq; dextera bello :
Si quis enim vestrum (verbis vos credite nostris)
Me domito vitam hanc fusco cum sanguine sternet,
Ille Philistæas nullo renuente phalanges
Captivas secum ducet (reliqua arma quiescent)
Iudæum vero mea si bibet hasta cruentum
Vos sceptro amissæ Dominis parere Philistis

Discetis

Discetis, lentiſ qui nunc confiditſ arviſ.

Talia dicta Cyclops tumida dum voce recenſet,
Horrendumq; ſimul crudelibus intonat armis;
Dat gemiſum tellus, Regiſq; perambulat ima
Oſſa tremor, reliqui fugiunt, & tuta requirunt
Iudæi pauidi; nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, forteſq; obtendere dextram,
Rex licet egregiæ ſpondet connubia natæ
Victori, & largos pugnæ proponit honores.

Ecce ſed Iſacidum Deus alti conditor orbis,
Qui res humanas, hominum qui vindicat acta
Arbiter, hæc tumidi conamina dira Gigantis
Observans animo memori, ridensq; tenellum
Iſai Gnatum, charos qui viſere fratres
Venerat, aduersus Cyclopem in prælia ſæua
Excitat; & puero nunquam fera bella fecuto
Indomitas ſtimulis haud mollibus inijcit iras.

Cumq; iterum valido confiſus robore Cyclops
Prodiſt, atrocilingua Regemq; Deumq;,
Et pauidos dira Iudæos voce laceſſens;
Non tulit ulterius conuitia talia monſtri
Vſq; adeo horrendi generoſo pectore David,
Illico quin iuſtam Iuvenis commotus ad iram
Ingemuit graviter, forteſq; has ore loquelas
Edidit: O nunquam dolituri, ô ſemper inertes,
Quis metus, Abramidæ? quæ tanta ignauia veftris
Pectoribus venit? Domino ſic fiditis; & ſic

Veftra

Vestra salus uno Seba othe in vindice pendet?
Turpia blasphemii mendacia probra Cyclopis
In Dominum, Legem, Regem, in nos auribus æquis
Anne hausisse etiam toties decet? Ipse Giganti
Obijciam hanc animam; Summi pro laude Tonantis
Dura pati justum est, sedeant, spectentq; manipli
Atq; Duces pavidi; Cœli protectus ab arce
Victor ovans redeam: Viuit, quitanta pericla,
Instantemq; potest à me depellere mortem.

Et memini, & semper memori sub corde tenebo,
Cum nuperrugiens Leo, cum villosus & Vrsus,
Me pastore gregis teneri patria arua petebant;
Insidias nostris ovibus tendebat uterq;
Immaniq; famis rabie frendebat uterq;
Nec mora, quin suadente fame, suadente furore
Indomito, geminos latitantes vepribus, eheu,
Dispersis reliquis, laniabant dentibus agnos.
Hæc postquam fuerant oculis visa omnia nostris,
Insolitas nobis ad fortia prælia vires
Addebat iustus dolor. Ergo per omnia sylvæ,
Omnia per terræ loca forti corde secutus,
Invado horrendas rictu, auxilioq; Tonantis
Sterno feras, stratas lanio; justasq; reportans
A rigidis prædam, pœnas cum sanguine polco.

Spargitur hic subito ludæa per oppida rumor,
Fando etiam timidas Sauli defertur ad aures,
Ille alacres Iuvenis motus & fortia bello,

B

Pectora

Pectora demirans, Davidem in castra vocari
Imperat; ac oculos paulum tellure moratos,
Aspiciens Iuuenem, tollit; multumque gemiscens,
Effusis largè lachrymis sic ora resoluit.
O generose puer, lessæo semine crete,
Quantum animo superas, tantò magis ipse salubre
Arbitror esse tuis cœptis, tibi pectore fido
Consulere; ac omnem metuendum exponere casum:
Respice res bello varias, mentemque ferocem
Reprime; militiæ nescis tolerare labores:
Num Puer summam belli; num credere castra
Expetit, ut Patriæ damnum commune refellat?
Et nostela, Puer, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis;
Non tamen instantem Cyclopa, & dira minantem
Imperio & capiti nostro, Patriæque, duello
Audemus, quamuis sat justo inuadere, mœsto
Volentes animo fera corpora & arma Gigantis.

Hæc Rex: Cui placido respondet pectore David
In medio Procerum aspectu: Ne me, inclyte, ne me
Tristibus his quæso lachrymis, neue omne acerbo
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O Rex: Viuit adhuc, qui me de fauce Leonis
Ac Vrsi eripuit, viresque animumque ministrans,
Is dabit, ut tumidi conamina dira Gigantis
Per me dispereant hodie; crudeleque membris
Horrendis caput auulsum, sine voce, sine alto

Sensu

Sensu ad te me me victore feretur, & omnes
Cognoscant populi, non esse potentiores
Abramidum Domino Iehoua, qui sua nunquam
Membra, suum populum rebus reliquit in arctis.

Talia dicentem perculsa mente tuentur
Iudæi Iuuenem, in primis vero Induperator,
Sic fari incipiens: Non hæc sine Numinе certo
Aut sine consilio Domini stellantis Olympi
Eueniunt: O flos Iudæ date sidere ab alto
Subsidium Isræli firmum; Puer inclyte, justus
Quem dolor & summi vindicta Tonantis in hostem
Fert dirum, egredere, & Cœli defende supremi
Auxilio nos & patriam; & victricia pressis
Signa refer populis: Sese simul exuit ense
Ac clypeo aurato; quem mox juuenilibus aptat
Davidis manibus, puerum Mauortibus armis
Et galea tectum ad crudelia prælia mittens.

Vix à conspectu Regis loca tuta tenebat
Camporum David, graviora ut viribus arma,
Quæ genua impediunt gressumq; onerosa recusant,
Sentiscit cautus: Mora nec, quin dura revoluens
Cœpta, suas repetit vestes. Nil viribus, inquit,
Nil armis agitur grauibus; ne fidite dextra
Iudæi; Domino fiat victoria laudi
Supremo. Hæc dicens, lectis è flumine saxis
Proudus instruxit fundam, qua Numinis alti
Auxilio cutus valido super hoste triumphum

Duceret; ac iterum, nullo perculta timore
Corda gerens, miles campo se credit aperto.
Ast puerum cernens immani corpore Cyclops,
Hæret in obtutu baculi fundæcū minacis;
Concutienscū caput, rigido de pectore dicta
Talia fundit atrox: Tunc es, dic, iste Redemptor
Strenuus Isacidum, qui sese opponere nostræ
Audebit dextræ, natumq; ad bella Gigantem
Vincere, & indomitos armis patrio orbe Philistas
Ejicere? o puerum confidentissime, quænam
Quæ rabies, vel quis furor est, sibi quererere mortem
Horrendam bellis, & sese opponere inermi
Dextra fulminibus Martisq;, mihiq;, resistunt
Cui nulla arma uirum, quamuis fortissima, & ipso
Ingenti superum sint facta labore Deorum?
Quid struis? aut quo te raptat tam dira cupido?
Mene canem reris, saxi qui concidat iætu,
Territus aut baculo fugiat, malesane tuorum
Dedecus o proauum; populi o vanissima Ebræi
Spes; celer hinc abeas, vel te mox putre cadauer
Efficiam, alitibus syluæ brutisq; rapinam.

Talia dicenti verbis respondet amicis
Bellator David: Tu prælia Martis iniqua
In trasti cinctus gladio & minitantibus armis:
Ast ego Iehouæ protectus Numine, nudus
Atq; puer venio, miles resonantia saxa
Apportans: Dira populum tu voce laceſſis

Inuicti



Inuicti Domini, cui seruit machina Cœli,
Ac illum patrijs demens expellere tectis
Aggrederis: Tumido tibi nunc en ultima tanti
Meta furoris adest, alijs paradigma sub ænum
Venturum missura, Deum me temnere frustra
Fas sit, & illius sanctæ maledicere genti:
Nam pueri stratus dextra Goliathē peribis,
Avulsum q̄ humeris caput, & sine nomine corpus
Præda erit alitibus; dura tunc stirpe Philista
Infelix primum fugiet; tunc multa tuorum
Corpora sternentur ferro, lauet improba teter
Ora cruor, totus quo possit cernere Mundus,
Non hæc humana virtute nec esse feroce
Mente peracta, Dei sed dextra, qui sine ferro
Victorem puerum meme hæc ad prælia misit.

Hæc postquam impatiens iræ perceperat, altum
Flammato Cyclops spirat sub corde furorem,
Et puerum accedens propius, videns q̄ seueros
Davidis vultus, mentemq̄ in utruncq̄ paratam,
Viuere siue mori, vagina liberat ensim
Atrocem, & cœlitecum munimine, acuto
Efferus inuadit ferro, ac frendente cruentam
Dente iram monstrans, viresq̄ in corpore tanto
Exercens omnes, hostili pectore dira
Fata parat Iuueni, mortemq̄ minatur acerbam.

Sed Deus ut justam posset cum sanguine pœnam
Sumere ab hoste fero, justissimus arbiter acries

Vindictæ stimulos juvenis sub pectora mittit.
Fundam ergo adducta circum caput egit habena
David, & emissio, quo vellet vincere, saxe
Cyclopis medium gemina inter tempora frontem
Percutiens, proprijs confisum viribus hostem
Numinis auxilio sternit; crudelia membra
Horrendum prostrata sonant; lætatur Olympus,
Et populi Abramidum gaudent; jacet ille, furitq;
Semianimis, cùi mox victor proprio ense superbum
Et pridem patriæ infestum summoq; Tonanti
Inuisum caput auellit, truncumq; sine omni,
Quod meruit fastus, relinquit honore cadauer,
Abramidis pacem populis, Regiq; salutem,
Et patriæ afflictæ vetricia signa reportans.

Talia dum cernunt turbata mente Philistæ,
Præcipiti dant terga fugæ, quos Saulus & omnis
Insequitur properé miles, sternitq; metitq;
Obvia quæq; Deus tantis non obfuit ausis.

Cumq; hæc ingenti volitans prænuntia motu
Fama ruit, lætisq; urbes clamoribus implet
Iudeas, trepidos iam terga dedisse Philistas,
Et celerem tentasse fugam, statione relicta,
Ecce omnis turba ad portas effusa ruebat
Matres atq; viri, pueri, teneræq; puellæ,
Plaudentesq; suas vocum ad dilatimina linguas
Soluebant, toto grates de pectora agentes
In iusto fortiq; Deo, turgentib; Regum

Colla

Colla superborum qui vindex calcat ; & omnem
Virtutem, humano quæ pugnat acumines perdit.
Post Puerum laudant, tanto super hoste Triumphum
Qui tulit, & Domino rebus confidit in arctis.

Quisquis es, iniusto Domini qui Marte fatigas
Sacratos, cum idusq; tuis spem ponis in ausis,
In iuncto frenum sceleri, paradigmate tanti
Gathidæ doctus, ne teq; tuosq; cruento
Expositos damno perdas : Concede Tonanti,
Et concede Deo : Stulta est audacia, quæ nil
Cum valeat, superos contra se armauerit orbes :
Nam caret euentu facili furor ; impia nec spes
Viuit læta diu ; vindex malefacta rependit
Et benefacta Deus, summi regnator Olympi,
Quo sine nulla salus, sine quo victoria nulla.

F I N I S.



Lipsiæ, Zacharias Berwald excudebat,
Anno 1594.



Corde pectorum tuum duc ardorem caritatis
Sicut enim per nos ducit quoniam secundum nos beatitudinem
Pecunia non omnia sumus sed anima nostra possit. Tunc inquit
Quodcumque ducit te ad te ipsum et te ipsum ad te ipsum
Sicut enim dicitur in libro prophetarum bonus et malus
Festis diebus tunc in festis diebus secundum quicunque
Ceterum quodcumque nunc ducit te ad te ipsum
Hoc est enim dicitur in libro prophetarum: Quoniam Ieronimus
Ego vero dico vobis: Non sicut ducit te aliquid nisi ducat te
Ceterum quodcumque nunc ducit te ad te ipsum
Videtis ergo quod non sicut ducit te aliquid nisi ducat te
Vnde iste quodcumque ducit te ad te ipsum
Oportet quod cum ducatur secundum quicunque


21. V. 7.

2000 2000 2000 2000 2000 2000 2000

Anterius libernus misterium

2000 2000 2000

3



VDI6
PICH

10
POET



10

DAVIDIS PVERI
MILITIS INVICTISSIMI
TRIVMPHVS GLORIOSISSIMVS: IN
Christianorum à Scythico passim latrone, alijsq; ho-
stibus Ecclesiae immanissimis undiq; miserè pressorum consola-
tionem ex decimo septimo capite primi libri Regum de-
sumptus, Heroico carmine breuiter red-
ditus, & humilime con-
secratus

SERENISSIMIS ILLVSTRISSI-
misq; Principibus ac Dominis, D. FRIDERICO
GVIELMO, Saxoniarum Provinciarum Se-
ptemviralium & heredis Electoralis Tutori & Ad-
ministratori, & D. JOANNI, Fratribus Germa-
nis, Saxonia Ducibus, Landgravüs Thuringie &



Equite, & P. L. Cæfareo.